

Le texte proposé ici a été établi à partir de celui publié par Johannes Percival Postgate dans son *Corpus Poetarum Latinorum* (1905).

v.1 Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo
 2 atque ea, quae quondam spatiis exclusus iniquis,
 3 cum caneret laetas segetes et munera Bacchi
 4 et te, magna Pales, nec non caelestia mella,
 5 Vergilius nobis post se memoranda reliquit.
 6 Principio sedem numeroso praebeat horto
 7 pinguis ager putris glebae, resolutaque terga
 8 qui gerit et fossus gracilis imitatur harenas ;
 9 atque habilis natura soli, quae gramine laeto
 10 parturit et rutilas ebuli creat uvida bacas.
 11 Nam neque sicca placet nec quae stagnata palude
 12 perpetitur querulae semper convicia ranae.
 13 Tum quae sponte sua frondosas educat ulmos
 14 palmitibusque feris laetatur et aspera silvis
 15 achradis aut pruni lapidosis obruta pomis
 16 gaudet et injussi consternitur ubere mali,
 17 sed negat elleboros et noxia carpasa suco
 18 nec patitur taxos nec strenua toxica sudat,
 19 quamvis semihominis vesano gramine feta
 20 mandragorae pariat flores maestamque cicutam.
 21 Nec manibus mitis ferulas nec cruribus aequa
 22 terga rubi spinisque ferat paliuron acutis.
 23 Vicini quoque sint amnes quos incola durus
 24 attrahat auxilio semper sitientibus hortis,
 25 aut fons inlacrimet putei non sede profunda,
 26 ne gravis hausuris tendentibus ilia vellat.
 27 Talis humus vel parietibus vel saepibus hirtis
 28 claudatur, ne sit pecori neu pervia furi.
 29 Nec tibi Daedaliae quaerantur munera dextrae,
 30 nec Polyclitea nec Phradmonis aut Ageladae
 31 arte laboretur, sed truncam forte dolatum
 32 arboris antiquae numen venerare Priapi
 33 terribilis membri, medio qui semper in horto

34 inguinibus puero, praedoni falce minetur.
 35 Ergo age nunc cultus et tempora quaeque serendis
 36 seminibus, quae cura satis, quo sidere primum
 37 nascantur flores Paestique rosaria gemment,
 38 quo Bacchi genus aut aliena stirpe gravata
 39 mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
 40 Pierides tenui deducite carmine Musae.
 41 Oceani sitiens cum jam Canis hauserit undas
 42 et paribus Titan orbem libraverit horis,
 43 cum satur Autumnus quassans sua tempora pomis,
 44 sordidus et musto spumantis exprimet uvas,
 45 tum mihi ferrato versetur robore palae
 46 dulcis humus, si jam pluviis defessa madebit.
 47 At si cruda manet caelo durata, sereno,
 48 tum jussi veniant declivi tramite rivi,
 49 terra bibat fontis et hiantia compleat ora.
 50 Quod si nec caeli nec campi competit umor,
 51 ingeniumque loci vel Juppiter abnegat imbrem,
 52 expectetur hiems, dum Bacchi Gnosius ardor
 53 aequore caeruleo celetur vertice mundi,
 54 solis et adversos metuant Atlantides ortus.
 55 Atque ubi jam tuto necdum confisus Olympo,
 56 sed trepidus profugit Chelas et spicula Phoebus
 57 dira Nepae tergoque Croti festinat equino,
 58 nescia plebs, generis matri ne parcite falsae.
 59 Ista Prometheae genetrrix fuit altera cretae ;
 60 altera nos enixa parens, quo tempore saevos
 61 tellurem ponto mersit Neptunus et imum
 62 concutiens barathrum Lethaeas terruit undas,
 63 tumque semel Stygium regem videre trementem
 64 Tartara, cum pelagi streperent sub pondere Manes.
 65 Nos fecunda manus viduo mortalibus orbe
 66 progenerat, nos abruptae tum montibus altis
 67 Deucalioneae cautes peprere. Sed ecce
 68 durior aeternusque vocat labor : heia age segnis
 69 pellite nunc somnos et curvi vomere dentis
 70 jam viridis lacerate comas, jam scindite amictus.
 71 Tu gravibus rastris cunctantia perfode terga,
 72 tu penitus latis eradere viscera marris
 73 ne dubita et summo ferventia caespite mixta
 74 ponere, quae canis jaceant urenda pruinis,
 75 verberibus gelidis iraeque obnoxia Cauri,
 76 alliget ut saevus Boreas Eurusque resolvat.
 77 Post ubi Riphaeae torpentia frigora brumae
 78 candidus aprica Zephyrus regelaverit aura
 79 sidereoque polo cedet Lyra mersa profundo,
 80 veris et adventum nidis cantabit hirundo,
 81 rudere tum pingui, solido vel stercore aselli
 82 armentive fimo saturet jejunia terrae
 83 ipse ferens olitor diruptos pondere qualos,
 84 pabula vec pudeat lisso praebere novali,
 85 immundis quaecumque vomit latrina cloacis.
 86 Densaque jam plumis durataque summa pruinis
 87 aequora dulcis humi repetat mucrone bidentis.
 88 Mox bene eum glaebis vivacem caespitis herbam
 89 contundat marrae vel fracti dente ligonis,
 90 putria maturi solvantur ut ubera campi.
 91 Tunc quoque trita solo splendentia sarcula sumat

92 angustosque foros adverso limite ducens
 93 rursus in obliquum distinguat tramite parvo.
 94 Verum ubi jam puro discrimine pectita tellus
 95 deposito squalore nitens sua semina poscet,
 96 pingite tunc varios, terrestria sidera, flores,
 97 candida leucoia et flaventia lumina calthae
 98 narcissique comas et hiantis saeva leonis
 99 ora feri calathisque virentia lilia canis,
 100 nec non vel niveos vel caeruleos hyacinthos.
 101 Tum quae pallet humi, quae frondens purpurat auro,
 102 ponatur viola et nimium rosa plena pudoris.
 103 Nunc medica panacem lacrima, sucoque salubri
 104 glaucea et profugos vinctura papavera somnos
 105 spargite, quaeque viros acuunt armantque puellis,
 106 jam Megaris veniant genitalia semina bulbi,
 107 et quae Sicca legit Gaetulis obruta glaebis,
 108 et quae frugifero seritur vicina Priapo,
 109 excitet ut Veneri tardos eruca maritos.
 110 Jam breve chaerepolum et torpenti grata palato
 111 intiba, jam teneris frondens lactucula libris
 112 aliaque infractis spicis et olentia late
 113 ulpica, quaeque fabis habilis fabrilia miscet,
 114 jam siser, Assyrioque venit quae semine radix
 115 sectaque praebetur madido sociata lupino,
 116 ut Pelusiaci proritet pocula zythi.
 117 Tempore non alio nili quoque salgama merce
 118 capparis et tristes inulae ferulaeque minaces
 119 plantantur, nec non serpentia gramina menthae
 120 et bene odorati flores sparguntur anethi
 121 tutaque Palladiae baccae jutura saporem
 122 seque lacessenti fletum factura sinapis
 123 atque holeris pulli radix lacrimosaque caepa
 124 ponitur et lactis gustus quae condiat herba,
 125 deletura quidem fronti data signa fugarum ;
 126 vimque suam idcirco profitetur nomine Graio.
 127 Tum quoque conseritur, toto quae plurima terrae
 128 orbe virens pariter plebi, regique superbo,
 129 frigoribus caules, et veri cymata mittit :
 130 quae pariunt veteres caesposo litore Cumae,
 131 quae Marrucini, quae Signia monte Lepino,
 132 pinguis item Capua, et Caudinis faucibus horti,
 133 fontibus et Stabiae celebres, et Vesvia rura,
 134 doctaque Parthenope Sebethide roscida lymphae,
 135 quae dulcis Pompeia palus vicina Salinis
 136 Herculeis, vitreoque Siler qui defluit amni,
 137 quae duri praebent cymosa stirpe Sabelli,
 138 et Turni lacus, et pomosi Tiburis arva,
 139 Brutia quae tellus, et mater Aricia porri.
 140 Haec ubi credidimus resolutae semina terrae,
 141 assiduo gravidam cultu curaque fovemus,
 142 ut redeant nobis cumulato fenore messes.
 143 Et primum moneo largos inducere fontes,
 144 ne sitis exurat concepto semine partum.
 145 At cum feta suos nexus adaperta resolvit,
 146 florida cum soboles materno pullulat alvo,
 147 primitiis plantae modicos tum praebeat imbres
 148 sedulus inrorans olitor, ferroque bicorni
 149 pectat, et angentem sulcis exterminet herbam.

150 At si dumosis positi sunt collibus horti,
 151 nec summo nemoris labuntur vertice rivi,
 152 aggere praeposito cumulatis area glebis
 153 emineat, sicco ut consuescat pulvere planta,
 154 nec mutata loco sitiens exhorreat aestus.
 155 Mox ubi nubigenae Phrivi, nec portitor Helles,
 156 signorum et pecorum princeps caput efferet undis,
 157 alma sinum tellus jam pandet, adultaque poscens
 158 semina depositis cupiet se nubere plantis :
 159 invigilate, viri ; tacito nam tempora gressu
 160 diffugiunt, nulloque sono convertitur annus.
 161 Flagitat ecce suos genetrix mitissima foetus,
 162 et, quos enixa est partus jam quaerit alendos,
 163 privignasque rogat proles. Date nunc sua matri
 164 pignora, tempus adest : viridi redimite parentem
 165 progenie, tu cinge comas, tu dissere crinis.
 166 Nunc apio viridi crispetur florida tellus,
 167 nunc capitis porri longo resoluta capillo
 168 laetetur, mollemque sinum staphylinus inumbret.
 169 Nunc et odoratae peregrino munere plantae
 170 Sicaniis croceae descendant montibus Hyblae,
 171 nataque jam veniant hilaro sampsucha Canopo,
 172 et lacrimas imitata tuas, Cinyreia virgo,
 173 sed melior stactis ponatur Achaia myrra :
 174 et male damnati maesto qui sanguine surgunt
 175 Aeacii flores immortalesque amaranti,
 176 et quos mille parit dives natura colores,
 177 disponat plantis olitor, quos semine sevit.
 178 Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble,
 179 jamque salutari properet lactuca sapore,
 180 tristia quae relevat longi fastidia morbi :
 181 altera crebra viret, fusco nitet altera crine,
 182 utraque Caecilii de nomine dicta Metelli.
 183 Tertia, quae spisso, sed puro vertice pallet,
 184 haec sua Cappadocae servat cognomina gentis.
 185 Et mea, quam generant Tartesi litore Gades,
 186 candida vibrato discrimine, candida thyrsos est.
 187 Cypros item Paphio, quam pingui nutrit in arvo
 188 punicea depexa coma, sed lactea crure est.
 189 Quot facies, totidem sunt tempora quamque serendi :
 190 Caeciliam primo deponit Aquarius anno,
 191 Cappadocamque premit ferali mense lupercus.
 192 Tuque tuis, Mavors, Tartessida pange kalendis,
 193 tuque tuis Paphien iterum jam pange kalendis,
 194 dum cupit et cupidae quaerit se jungere matri
 195 et mater facili mollissima subjacet arvo.
 196 Ingenera ; nunc sunt genitalia tempora mundi :
 197 nunc Amor ad coitus properat, nunc spiritus orbis
 198 bacchatur Veneri, stimulisque cupidinis actus
 199 ipse suos amat partus, et fetibus implet.
 200 Nunc pater aequoreus, nunc et regnator aquarum,
 201 ille suam Tethyn, hic polluit Amphitriten :
 202 et jam caeruleo partus enixa marito
 203 utraque nunc reserat, pontumque natantibus implet.
 204 Maximus ipse deum posito jam fulmine, fallax
 205 Acrisioneos veteres imitatur amores,
 206 inque sinus matris violento depluit imbre.
 207 Nec genetrix nati nunc aspernatur amorem,

208 et patitur nexus flammata cupidine tellus.
 209 Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
 210 ver agit : hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido,
 211 atque amor ignescit menti, saevitque medullis,
 212 dum satiata Venus fecundos compleat artus,
 213 et generet varias soboles, semperque frequentet
 214 prole nova mundum, vacuo ne torpeat aevo.
 215 Sed quid ego infreno volitare per aethera cursu
 216 passus equos audax sublimi tramite raptos ?
 217 Ista canit, majore deo quem Delphica laurus
 218 impulit, et rerum causas, et sacra moventem
 219 orgia naturae, secretaque foedera caeli.
 220 Exstimulet vatem per Dindyma casta Cybelles,
 221 perque Cithaeronem, Nyseia per juga Bacchi,
 222 per sua Parnasi, per amica silentia Mysis
 223 Pierii nemoris, Bacchea voce frementem
 224 Delie te Paeon, et te Euhie Euhie Paeon.
 225 Me mea Calliope cura levioere vagantem
 226 jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro,
 227 et secum gracili connectere carmina filo,
 228 quae canat inter opus Musa modulante putator
 229 pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis.
 230 Quare age, quod sequitur, parvo discrimine sulci
 231 spargantur caecis nasturtia dira colubris,
 232 indomito male sana cibo quas educat alvus,
 233 et satureia thymi referens thymbraeque saporem,
 234 et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.
 235 Hispida ponatur cinara, quae dulcis Iaccho
 236 potanti veniat, nec Phoebos grata canenti :
 237 haec modo purpureo surgit glomerata corymbo,
 238 murteolo modo crine viret, deflexaque collo
 239 nunc adapertha manet, nunc pinea vertice pungit,
 240 nunc similis calatho, spinisque minantibus horret,
 241 pallida nonnumquam tortos imitatur acanthos.
 242 Mox ubi sanguineis se floribus induit arbor
 243 Punica, quae rutilo mitescit tegmine grani,
 244 tempus aris satio, famosaque tunc coriandra
 245 nascuntur, gracilique melanthia grata cumino,
 246 et baca asparagi spinosa prosilit herba,
 247 et moloche, prono sequitur quae vertice solem ;
 248 quaeque tuas audax imitatur, Nysie, vites,
 249 nec metuit sentis ; nam vepribus improba surgens
 250 achrados, indomitasque bryonias alligat alnos.
 251 Nomine tum Graio, ceu littera proxima primae,
 252 pangitur in cera docti mucrone magistri :
 253 sic et humo pingui ferratae cuspidis ictu
 254 deprimitur folio viridis, pede candida, beta.
 255 Quin et odoratis messis jam floribus instat,
 256 jam ver purpureum, jam versicoloribus anni
 257 fetibus alma parens pingi sua tempora gaudet.
 258 Jam Phrygiae loti gemmantia lumina promunt,
 259 et coniventis oculos violaria solvunt ;
 260 oscitat et leo, et ingenuo confusa rubore
 261 virgineas adapertha genas rosa praebet honores
 262 caelitibus, templisque Sabaeum miscet odorem.
 263 Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro,
 264 Maenaliisque choros Dryadum, Nymphasque Napaeas,
 265 quae colitis nemus Amphrysi, quae Thessala Tempe,

266 quae juga Cyllenes, et opaci rura Lycaei,
 267 antraque Castaliis semper rorantia guttis,
 268 et quae Sicanii flores legistis Halaesi,
 269 cum Cereris proles vestris intenta choreis
 270 aequoris Ennaei vernantia lilia carpsit,
 271 raptaque, Lethaei conjunx mox facta tyranni,
 272 sideribus tristes umbras, et Tartara caelo
 273 praeposuit, Ditemque Jovi, letumque saluti,
 274 et nunc inferno potitur Proserpina regno :
 275 vos quoque jam posito luctu, maestoque timore
 276 huc facili gressu teneras advertite plantas,
 277 tellurisque comas sacris aptate canistris.
 278 Hinc nullae insidiae Nymphis, non ulla rapina,
 279 casta Fides nobis colitur, sanctique Penates.
 280 Omnia plena jocis, securo plena cachinno,
 281 plena mero, laetisque virent convivia pratis.
 282 Nunc ver egeidum, nunc est mollissimus annus,
 283 dum Phoebus tener, ac tenera decumbere in herba
 284 suadet, et arguto fugientes gramine fontes
 285 nec rigidos potare juvat, nec sole tepentis.
 286 Jamque Dionaeis redimitur floribus hortus,
 287 jam rosa mitescit Sarrano clarior ostro.
 288 Nec tam nubifugo Borea Latonia Phoebe
 289 purpureo radiat vultu, nec Sirius ardor
 290 sic micat, aut rutilus Pyrois, aut ore corusco
 291 Hesperus, Eoo remeat cum Lucifer ortu ;
 292 nec tam sidereo fulget Thaumantias arcu,
 293 quam nitidis hilares conlucent fetibus horti.
 294 Quare age vel jubare exorto jam nocte suprema,
 295 vel cum Phoebus equos in gurgite mersat Hiberio,
 296 sicubi odoratas praetexit amaracus umbras,
 297 carpite, narcissisque comas, sterilisque balausti.
 298 Et tu, ne Corydonis opes despernat Alexis,
 299 formoso Nais puero formosior ipsa
 300 fer calathis violam, et nigro permixta ligustro
 301 balsama cum casia nectens, croceosque corymbos
 302 sparge mero Bacchi : nam Bacchus condit odores.
 303 Et vos, agrestes, duro qui pollice molles
 304 demetitis flores, cano jam vimine textum
 305 sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.
 306 Jam rosa distendat contorti stamina junci,
 307 pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha,
 308 mercibus ut vernis dives Vertumnus abundet,
 309 et titubante gradu multo madefactus Iaccho
 310 aere sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.
 311 Sed cum maturis flavebit messis aristis,
 312 atque diem gemino Titan extenderit astro,
 313 hauserit et flammis Lernaei brachia Cancri,
 314 alia cum cepis, cereale papaver anetho
 315 jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
 316 et celebres Fortis Fortunae dicite laudes,
 317 mercibus exactis, hilaresque recurrите in hortos.
 318 Tunc quoque proscisso riguoque inspersa novali
 319 ocima comprimite, et gravibus densate cylindris,
 320 exurat sata ne resoluti pulveris aestus,
 321 parvulus aut pulex inrepens dente lacessat,
 322 neu formica rapax populari semina possit.
 323 Nec solum teneras audent erodere frondes

324 implicitus conchae limax, hirsutaque campe :
 325 sed cum jam valido pinguescit lurida caule
 326 brassica, cumque tument pallentia robora betae,
 327 mercibus atque holitor gaudet securus adultis,
 328 et jam maturis quaerit supponere falcem,
 329 saepe ferus duos jaculatur Juppiter imbres,
 330 grandine dilapidans hominumque boumque labores :
 331 saepe etiam gravidis inrorat pestifer undis,
 332 e quibus infestae Baccho, glaucisque salictis
 333 nascuntur volucres, serpitque eruca per hortos,
 334 quos super ingrediens exurit semina morsu,
 335 quae capitis viduata coma, spoliataque nudo
 336 vertice, trunca jacent tristi consumpta veneno.
 337 Haec ne ruricolae paterentur monstra, salutis
 338 ipsa novas artis varia experientia rerum,
 339 et labor ostendit miseris, ususque magister
 340 tradidit agricolis, ventos sedare furentis
 341 et tempestatem Tuscis avertere sacris.
 342 Hinc mala rubigo, virides ne torreat herbas,
 343 sanguine lactentis catuli placatur et extis.
 344 Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
 345 Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris,
 346 utque Jovis magni prohiberet fulgura Tarchon,
 347 saepe suas sedes praecinxit vitibus albis.
 348 Hinc Amythaonius, docuit quem plurima Chiron,
 349 nocturnas crucibus volucres suspendit, et altis
 350 culminibus vetuit feralia carmina flere.
 351 Sed ne dira novas segetes animalia carpant,
 352 profuit interdum medicantem semina pingui
 353 Palladia sine fruge salis conspargere amurca,
 354 innatave laris nigra satiare favilla.
 355 Profuit et plantis latices infundere amaros
 356 marruvii, multoque sedi contingere suco.
 357 At si nulla valet medicina repellere pestem,
 358 Dardaniae veniunt artes, nudataque plantas
 359 femina, quae justis tum demum operata juventae
 360 legibus, obsceno manat pudibunda cruore,
 361 sed resoluta sinus, resoluta maesta capillo,
 362 te circum areolas, et saepem ducitur horti.
 363 Quae cum lustravit gradiens, mirabile visu !
 364 Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus
 365 vel teretis mali vel tectae cortice glandis,
 366 volvitur in terram distorto corpore campe.
 367 Sic quondam magicis sopitum cantibus anguem
 368 vellere Phrixeo delapsum vidit Iolcos.
 369 Sed jam prototomos tempus decidere caules,
 370 et Tartesiacos, Paphiosque revellere thyrsos,
 371 atque apio fasces et secto cingere porro.
 372 Jamque eruca salax fecundo provenit horto,
 373 lubrica jam lapathos, jam thamni sponte virescunt,
 374 et scilla, hirsuta saepes nunc horrida rusco
 375 prodit, et asparagi corruda simillima filo,
 376 umidaque andrachle sitientes proteggit antes,
 377 et gravis atriplici consurgit longa fasellus.
 378 Tum modo dependens trichilis, modo more chelydri
 379 sole sub aestivo gelidas per graminis umbras
 380 intortus cucumis, praegnasque cucurbita serpit.
 381 Una neque est illis facies : nam si tibi cordi

382 longior est, gracili capitis quae vertice pendet,
 383 et tenui collo semen lege ; sive globosi
 384 corporis, atque utero nimium quae vasta tumescit,
 385 ventre leges medio ; sobolem dabit illa capacem
 386 Naryciae picis, aut Actaei mellis Hymetti,
 387 aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagoenam,
 388 tum pueros eadem fluviis innare docebit.
 389 Lividus at cucumis, gravida qui nascitur alvo,
 390 hirtus et ut coluber nodoso gramine tectus,
 391 ventre cubat flexo semper collectus in orbem,
 392 noxius exacuit morbos aestatis iniquae,
 393 fetidus hic suco, pingui quoque semine fartus.
 394 At qui sub trichila manantem repit ad undam,
 395 labentemque sequens nimium tenuatur amore,
 396 candidus, effetae tremebundior ubere porcae,
 397 mollior infuso calathis modo lacte gelato,
 398 dulcis erit, riguoque madescit luteus arvo,
 399 et feret auxilium quondam mortalibus aegris.
 400 Cum canis Erigones flagrans Hyperionis aestu
 401 arboreos aperit fetus, cumulataque moris
 402 candida sanguineo manat fiscella cruore,
 403 tunc praecox bifera descendit ab arbore ficus,
 404 Armeniisque, et cereolis prunisque Damasci
 405 stipantur calathi et pomis, quae barbara Persis
 406 miserat, ut fama est, patriis armata venenis.
 407 At nunc expositi parvo discrimine leti
 408 Ambrosios praebent sucos, oblita nocendi.
 409 Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta
 410 exiguo properant mitescere Persica malo.
 411 Tempestiva madent, quae maxima Gallia donat,
 412 frigoribus pigro veniunt Asiatica fetu.
 413 At gravis Arcturi sub sidere parturit arbos
 414 Livia, Chalcidicis et caunis aemula Chiis,
 415 purpureaeque Chelidoniae, pinguesque Mariscae
 416 et callistruthis, roseo quae semine ridet,
 417 albaque, quae servat flavae cognomina cerae,
 418 scissa Libyssa simul, picto quoque Lydia tergo.
 419 Quin et Tardipedi sacris jam rite solutis
 420 nube nova seritur, caeli pendentibus undis,
 421 gongylis, illustri mittit quam Nursia campo,
 422 quaeque Amiterninis defertur bunias arvis.
 423 Sed jam maturis nos flagitat anxius uvis
 424 Euhius, excultosque jubet claudamus ut hortos.
 425 Claudimus, imperioque tuo paremus agrestes,
 426 ac metimus laeti tua munera, dulcis Iacche,
 427 inter lascivos Satyros, Panasque bifformes,
 428 brachia jactantes vetulo marcentia vino.
 429 Et te Maenaliū, te Bacchum, teque Lyaeum,
 430 Lenaeumque patrem canimus sub tecta vocantes,
 431 ferveat ut lacus, et multo completa Falerno
 432 exundent pingui spumantia dolia musto.
 433 Hactenus hortorum cultus, Silvine, docebam,
 434 siderei vatis referens praecepta Maronis,
 435 qui primus veteres ausus recludere fontes
 436 Ascraeum cecinit Romana per oppida carmen.
